

temeraria dispensationem facilius obtinendi contraxeris, et hæc non exprimas, nulla est dispensatio.

Observandum est, quantum ad copulam incestuosam, si sit occulta, quod petatur dispensatio in sacra Pœnitentiaria, tacitis nominibus, ob vitandam infamiam, aut aliud damnum. Quando vero impedimenta sunt manifesta, aut facile manifestanda, dispensatio non conceditur a Pœnitentiaria, sed a Dataria, et debent exprimi nomina; quia, cum agatur de impedimento publico, potest deduci ad forum contentiosum, et publicari debet decretum Datarie. In Pœnitentiaria dirigitur commissio dispensandi ad confessorium, qui sit magister aut professor in theologia; in Dataria ad officialem loci. In Pœnitentiaria omnia gratis conceduntur; in Dataria solvitur mulcta expendenda in propagationem fidei, vel in alios pios usus.

Colliges 2° quod, quando sunt plura impedimenta, puta consanguinitas et affinitas, vel plures consanguinitates aut affinitates, nulla sit dispensatio, si petatur separatim, nunc pro uno, postea pro altero; sed debet peti pro omnibus simul. Item nulla est, si non exprimatur in qua linea sit propinquitas, an in recta vel transversa, et in quo gradu, æquali vel inæquali. Similiter in cognatione spiritali, si non exprimatur an sit filia spiritalis, vel paternitas, an baptizaverit, an tantum susceperit. Idem dic de confirmatione. Item nulla est, si petatur dispensatio super crimine uxoricidii, non exprimendo similem dispensationem jam fuisse obtentam. Item, si dispensatus super defectum natalium ad Ordines et beneficium, postea petat dispensationem super pluralitatem beneficiorum, non exprimendo iterum defectum natalium. Item, si dispensatio petatur in forma pauperum, et petens non sit vere pauper. Et hæc omnia et quædam alia ex stylo curiæ Romanæ.

In triplici forma petitur dispensatio: *In forma pauperum, honestorum et nobilium.* Ut aliqui censeantur vere pauperes, debent esse tales, ut de suis laboribus et industria tantum vivant, et ideo debet exprimi in petitione, ita ut, si omittatur *tantum*, inutilis sit petitio. Debet exprimi in petitione paupertas ex utraque parte.

Daelman, doctor Lovaniensis, quæst. ultima, observat. ultima, *de Matrimon.*, scribit illos debere censi pauperes, qui sive in mobilibus, sive in immobilibus habent duo vel tria millia florenorum: tum quia, si peterent in forma honestorum, deberent majori parte hujus summæ spoliari pro dispensatione, pro qua petitur mille vel duo millia florenorum, juxta graduum propinquitatem, et sic fierent pauperes; tum quia hæc pauca bona sunt eis quasi instrumentum quo labore et industria fructuose operari valeant, nullos inde percipientes fructus, aut ita modicos, ut pro nullo reputentur. Addit laudatus theologus, Nuntium apostolicum sic judicare, quando oratores a parochis ad ipsum mittuntur.

Petes 1° utrum, quando Romani apponunt in dispensatione alias causas quam eas quas exposuit orator, illæ debeant esse veræ, ut sit valida dispensatio.

Resp. negative, sed sufficit quod quæ ab oratore proponuntur sint veræ; non enim ipse propter aliud petit dispensari, et revera propter illas dispensatur: aliæ autem apponuntur ex stylo curiæ, et ne videatur data dispensatio propter leviores causas.

[*Petes* 2° utrum dispensatio valide obtineri possit, non tantum pro inscio, sed etiam pro invito.

Resp. affirmative, si necessitas vel saltem sufficiens motivum adsit. Id ratio dicit et erui videtur ex cap. *Si motu proprio, de præbendis* in 6°. Sed dispensatio debet a dispensato acceptari. Aliter tamen dicendum de dispensationibus quæ ex Pœnitentiaria Romana impetrantur, nisi petantur a personis conjunctis aut consanguineis intra quartum gradum, ad matrimonium, vel saltem a confessorio, propter motiva quæ gravia judicat. Ita S. Ligor., lib. I, n. 186.]

Petes 2° utrum, defuncto dispensatore, cesset dispensatio.

Resp. negative; quia gratia non expirat morte concedentis, cap. *Si super, de officio delegati* in 6°. Quod etiam

verum est, quamvis dispensatio concessa sit ad revocationem; quia dispensator vivens non revocavit, nec mortuus revocat. Secus, si dixisset: « Donec voluero, » aut: Donec placuerit; » mortuus enim non vult amplius, nec illi amplius placet.

[Petes 4^o quomodo cesset dispensatio.

Resp. Triplici modo cessat, scilicet: cessatione causæ, revocatione, renuntiatione.

1^o Si cesset causa finalis tempore quo litteræ dispensatorie expediuntur, dispensatio effectum non habet. Superior enim non censetur dispensare sine causa, et ex cap. *Ex parte*, Decretal. lib. I, tit. 3 *de rescriptis*, « in hujusmodi litteris intelligenda est hæc conditio, etiamsi non apponatur: « Si preces veritate nitantur. » — Si cesset causa finalis post litterarum expeditionem, sed ante earum fulminationem et executionem, cum commissarius non possit nomine superioris dispensare nisi sub eadem conditione et restrictione, quamvis dispensatio in principio fuerit valida, nullitate tunc afficitur. — Si cesset causa finalis post litterarum executionem, distinguendum. Vel materia consistit in uno actu et dispensatio aufert tantum impedimentum, et tunc, sublato impedimento, reviviscere non potest per mutationem circumstantiarum, ex regula 73 juris in 6^o: « Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat a quo non potuit inchoari. » Vel materia habet tractum successivum et ex pluribus actibus coalescit, ut jejunium quadragesimale, recitatio horarum canonicarum, et tunc, cum dispensatio sit virtualiter multiplex, indubie cessat quando ejus causa tollitur, si nimirum qui illam propter infirmam valetudinem obtinuit, postea perfecte convalescat. — Si causa finalis censeatur perpetuo duratura, manet dispensatio. Sic qui ab irregularitate fuit dispensatus ad ordines sacros suscipiendos, etiamsi per longum tempus eos nolit suscipere, postea, mutato animo, legitime poterit promoveri. — Si vero causa impulsiva tantum cessaverit, dispensatio non evanescit, nisi sub hac conditione expresse fuerit concessa.

2^o Dispensatio omnino cessat per revocationem expresse a superiore factam, quia obligatio vel deobligatio ab eo pendet. Revocatio sine justa causa illicita quidem foret, sed nihilominus valida. S. Ligor., lib. I, n. 197, cum aliis, censet peccatum superioris tunc esse tantum veniale. Prælati inferior qui ex delegatione dispensavit, non valide dispensationem revocat sine causa.

3^o Dispensatus gratiæ obtentæ renuntiare potest, cum superioris assensu, antequam effectus fuerit assecutus, et ea amplius uti non potest. Excipitur si renuntiatio redundet in damnum alterius vel communitatis in cujus favorem fuit impensa dispensatio, aut si prælatus, justa de causa, subditum dispensatione uti præcipiat.]

ARTICULUS IV

De interpretatione legum.

I. Interpretatio generaliter sumpta, est legis obscuræ explicatio, qua declaratur in tali casu obligare vel non obligare. Est duplex: una verbalis, quæ dicitur simpliciter interpretatio, et est explicatio verborum conformiter ad mentem quam habuit legislator, condendo legem; altera, quæ dicitur *epikia*, est explicatio mentis, non quam habuit legislator, condendo legem, sed quam habuisset, si ad præsentem casum attendisset, et quam haberet, si hic et nunc interrogaretur.

[II. Interpretatio simplex est authentica, usualis et doctrinalis.

Interpretatio authentica seu cum autoritate prolata, ea est quæ ab ipso legislatore datur, vel ab ejus successore aut superiore. An vero hujusmodi interpretatio promulgari debeat, ut obliget? Distinguendum est. Vel est pure talis, seu est mera declaratio, et promulgatio non requiritur, cum non sit lex nova: obligat eos quibus de facto innotescit, in quantum sensum legis determinat, et

ita lex observari debet. Vel non est pure talis, id est sensum legis receptum aliquantulum mutat, et tunc cum, saltem ex parte, sit nova lex, promulgatione indiget.

Interpretatio usualis petitur ex consuetudine, quæ, ut dicitur in cap. *Cum dilectus*, Decretal. lib. I, tit. 4, *de consuetudine*, « est optima legum interpretatio. » Consuetudo interpretatur legem, quando est saltem ex parte, secundum legem, quam ex parte etiam mutare potest; nam, si sit contra, legem abrogat, et si sit præter, novam legem inducit.

Interpretatio doctrinalis fit per glossas theologorum, canonistarum et jurisperitorum. Per se non habet vim legis, cum sensum legis tantum exponat et doctores potestatem legislativam non habeant. Attamen, si interpretatio communiter admissa a pristino sensu legis plus minusve deviet, in hoc jus novum inducit, et sub hoc respectu fit usualis.]

III. In legum interpretatione simplici servandus est sensus verborum proprius, communis et magis receptus, nisi sequatur aliquod inconveniens; quia jure præsumitur legislatorem in hoc sensu locutum fuisse.

Lex favorabilis et nulli nociva, debet ampliari, odiosa restringi, juxta regulam juris 16 in 6^o.

In legibus humanis non fit regulariter argumentum a pari: quia in his quæ pendent a libera voluntate, non concluditur a pari; obligatio autem legis humanæ non tam pendet a ratione legis, quam a libera voluntate legislatoris, quæ est de illo casu, et non de isto, quamvis simili. Secus in lege naturali, propter oppositam rationem: quia obligatio illius est ex natura rei et ex ipsa ratione, quæ dum militat pro uno casu, militat pariter pro simili.

Dixi, « regulariter; » quia in correlativis, ut in marito et uxore, in iis quæ jure æquiparantur, ut in exsequente et mandante, et in iis quorum unum subordinatur alteri tamquam imperfectum perfecto, ut ova carnibus, respectu illius cui conceditur manducare carnes, fit argumentum a simili.

IV. Quantum ad epiikiam, certum est pariter illam habere locum in legibus humanis¹; quia leges ad communem utilitatem feruntur generaliter et secundum ea quæ in pluribus accidunt, neque legislator potest omnes casus prævidere et excipere. Contingit autem multoties quod aliquid observari, sit in pluribus communi bono utile, quod tamen in aliquibus casibus sit nocivum. Unde, si emergat casus in quo observantia litteralis legis sit nociva bono communi, vel afferat notabile detrimentum observanti aut alteri in sanitate, fama aut fortuna, hoc enim redundat contra bonum commune, vel sit contraria legi naturali vel humanæ superiori, aut ex aliqua circumstantia fiat iniqua aut nimis dura, per epiikiam non est observanda; quia merito præsumitur non fuisse mentem legislatoris, ut in his casibus lex obligaret.

Petes an liceat pariter uti epiikia in legibus infirmantibus contractus.

Resp. probabilius negative, propter gravia inconvenientia quæ contra bonum publicum inde nascerentur, et quæ prævalent malo, quantumvis gravi, alicujus particularis. Si namque liceret uti epiikia in lege irritante, v. g., matrimonium clandestinum, contractus minorennium, aut sine tabellione initos, concubinatus et fraudes ubique grassarentur in perniciem reipublicæ. Adde quod contractus non stet sine forma quæ per illas leges præscribitur.

ARTICULUS V

(APPENDIX)

De privilegiis

[*Petes* 1^o quid sit privilegium.

Resp. Privilegium, quoad nomen, est lex privata, seu, ut aliqui volunt, sed minus fundate, quasi privans lege;

1. Hic, q. 96, a. 6, o.

quoad rem vero et formaliter sumptum, est jus singulare, ob aliquam utilitatem a principe aliquibus concessum, agendi vel non præstandi aliquid, contra vel præter legem.

Explicatur definitio. Dicitur *jus*, per modum generis, in quo convenit cum lege, cum ad instar legis obliget. Dicitur *singulare*, quia datur uni vel alteri personæ singulari, aut communitati minori tamquam personæ singulari sumptæ, licet ex consequenti obliget totam communitatem principi subjectam ne privilegiatum in usu privilegii impediatur. Quo exprimitur etiam causa subjectiva privilegii: super quo notandum quod, quamvis stricte privilegium non nisi principis subdito concedi debeat, id est, ei qui talis est vel permanenter vel transeunter, ut sunt peregrini, attamen late sumptum, etiam non subdito concedi potest, cum sit actus meræ liberalitatis et præter jus. Dicitur, *agendi vel non præstandi aliquid contra vel præter legem*, quibus verbis exprimitur objectum seu causa materialis privilegii proprietatis, quæ est actus jure communi præceptus, vel prohibitus, ita ut respectu privilegiati desinat esse præceptus vel prohibitus. Dicitur, *ob aliquam utilitatem*, in quibus verbis habes causam finalem; finis enim generalis privilegii est aliqua utilitas redundans in bonum reipublicæ. Tandem in verbis *a principe concessum* exprimitur, non solum causa efficiens, sed etiam causa formalis extrinseca privilegii, quæ, sicut legis, est actus principis legitime manifestatus; totus enim privilegii valor a principis voluntate pendet. Ex quibus sequitur quod is solus et omnis qui potest ferre legem, possit etiam privilegia condere et concedere.

Petes 2º in quo privilegium a dispensatione differat.

Resp. differre in eo quod dispensatio relaxet quidem jus commune, sed absque duratione et stabilitate, vel ad unum dumtaxat actum, v. g., ad ordinem suscipiendum, vel limitative ad aliquos actus, plerumque tribuatur. E contra, privilegium cum aliqua stabilitate et perpetuitate, atque ad plures actus non limitative, indulgetur.

Petes 3º quotuplex sit privilegium.

Resp. Multipliciter dividitur privilegium: 1º In *affirmativum*, vi cujus aliquid facere licet jure communi non permissum, ut celebrare in pontificalibus, et in *negativum*, ex quo omittere licet quod de jure aliquis facere deberet, ut quasdam taxas non solvere. 2º In *personale*, quod directe et immediate conceditur intuitu individuae personæ, eique cohæret, et in *reale*, quod directe et immediate adnectitur rei, seu indulgetur personæ cum respectu ad rem, v. g., ad officium, dignitatem, indeque cohæret rei et eo frui licet omnibus qui officium seu dignitatem possident. Quidam addunt *mixtum*, quod est partim personale et partim reale, et conceditur personis cum adjectione loci. Privilegium est personale, quando verba concessionis diriguntur ad personam, cum expressione nominis ipsius, v. g.: « Tibi Petro, archiepiscopo Parisiensi, concedimus, etc. » Est reale, si verba dirigantur ad personam cum expressione rei vel dignitatis, v. g.: « Episcopo Augustodunensi concedimus usum pallii. » 3º In *gratuitum*, quod ex mera liberalitate, citra meritum singulare, indulgetur, et in *remuneratorium*, quod in præmium et compensationem insignium meritorum impertitur. Hoc posterius est ex natura sua personale; nihil tamen obstat quominus ad filios, nepotes totamque familiam extendi et communicari valeat, si tot et tanta sint merita paterna et avita, ut conveniens sit talem honorem hæreditarium fieri, et sic perpetuari. 4º In *purum*, quod sine reciproca obligatione conceditur, et in *conventionale*, quod confertur cum pacto et obligatione aliquid faciendi; quod tamen in materia odiosa non videtur comprehendi nomine privilegii, quia conventiones onerosæ non recte trahuntur ad materiam gratiosam. 5º In *commune*, quod per se respicit bonum communitatis, et consequenter in singulos derivatur, ut privilegium fori et canonis; quandoque competit, quoad usum tantum, communitati, qua talis est, ut privilegium liberæ electionis, quandoque singulis membris, ut multa privilegia religiosorum; et in privilegium *privatum*, quod respicit per se commodum unius vel alterius personæ, vergit tamen ex consequenti in bonum commune, ut privilegium

restitutionis in integrum. 6° In privilegium *clausum in corpore juris*, quod inter alias leges est insertum, et induit naturam legis et est favorabile, et in illud quod *speciali rescripto* conceditur, et censetur aliquatenus odiosum aliis, recipit proinde strictiorem interpretationem, et habet contra se juris præsumptionem. 7° In *singulare* seu concessum in forma singulari cum specialibus clausulis, v. g., « motu proprio, ex certa scientia, ex plenitudine potestatis, » et in *vulgare*, seu ad preces privilegiati, sine prædictis clausulis. Primum est favorabile, nec potest argui de obreptione aut subreptione, quibus laborare potest secundum, cum semper in hoc subintelligatur conditio, « si preces veritate nitantur. » 8° In *scriptum*, quod per principis rescriptum conceditur, et in *non scriptum*, quod conceditur oretenus, seu, ut dicitur, vivæ vocis oraculo. 9° Aliud datur *pro foro conscientie*, et in foro contentioso non agnoscitur, aliud *pro foro externo*, et etiam in publicis judiciis prodest. 10° Tandem aliud est *absolutum*, quod non est nisi personæ privilegiatæ favorabile, et aliud *respectivum*, quod ita privilegiato favet, ut simul in aliorum gravamen vergat.

Petes 4° quot modis privilegium acquiratur.

Resp. Privilegium vulgo dicitur acquiri quatuor modis: consuetudine, præscriptione, concessione et communicatione. Quia vero consuetudo et præscriptio non tam sunt modi acquirendi quam ipsa privilegia æquivalenter et objective, quatenus objectum privilegii, cæteris paribus, est objectum consuetudinis aut præscriptionis, et qui præscriptione vel consuetudine munitus est, id juris consequitur quod habet alius privilegio condecoratus, hinc modi privilegia acquirendi reducuntur ad *concessionem* et *communicationem*. Concessio privilegii est illius originaria collatio facta a legislatore qui legem a qua exemptio indulgetur tulit, vel ab ejus successore aut superiore. Communicatio est extensio privilegii ab uno subjecto ad aliud. Fit simpliciter, vel adjectis peculiaribus clausulis. Si fiat simpliciter, dat facultatem exercendi omnia privilegia concessa subjecto a quo vel intuitu cujus communi-

cantur, nisi sint plane singularia, rarius concedi solita, vel communicari prohibita. Si autem fiat cum adjectis clausulis, pro earum diversitate diversa est communicatio. Fit enim uno modo *relative* et *ad instar*, id est indirecte, accessorie, sicut multa privilegia regularibus indulta communicantur monialibus, illorum familiaribus, medicis, advocatis, etc.; et eo modo communicata, minuuntur et amittuntur, si pristina privilegia minui vel amitti contingat. Secundo modo, *absolute* aut *pariformiter* et *æque principaliter* ac si directe et specialiter concederentur his quibus communicantur, et hæc privilegia nec minuuntur nec amittuntur, etiamsi originaria privilegia contingat minui vel amitti, quia a prioribus jam per se non dependent. Ita hos terminos sumi debere constat ex pluribus pontificiis constitutionibus, signanter ex bulla Gregorii XV *Ad uberes fructus*, ubi terminus *ad instar* opponitur termino *pariformiter*, et ex bulla Clementis XIV *Supremi apostolatus*, ubi idem terminus termino *principaliter* opponitur.

Petes 5° qui sint effectus privilegii.

Resp. 1° Confert privilegiato jus utendi privilegio suo secundum tenorem et rectam interpretationem illius, et aliis imponit obligationem non impediendi usum privilegii. Debet autem privilegiatus observare locum, tempus, modum et alias condiciones in concessione expressas. Si vero locus et tempus non fuerint expressa, neque subjecta materia aliud suadeat, gratia concessa porrigitur ad omne tempus, et pariter ad totum territorium concedentis: imo, si gratia tollat solum inhabilitatem, vel permittat actum nullo speciali jure loci prohibitum, licitus est usus illius etiam extra territorium concedentis, ut ubique legere libros prohibitos, celebrare ante auroram, etc. 2° Privilegiatus non tenetur privilegio suo uti, quia favor non potest in onus transire; nisi per accidens inde oriatur obligatio cui personaliter satisfacere debet, ut auditio missæ die dominica per tempus interdicti, vel obligatio erga alterum implenda, v. g., confessarius qui obtinuit facultatem absolvendi a casibus reservatis, post auditam confessio-

nem ea uti, tenetur. At, si privilegium sit ex suo fine publicum, v. g., privilegium fori, non licet ei renunciare, quia ordo publicus id non patitur. 3° In concursu duorum privilegiorum, plura sunt discernenda. Si privilegia sint respectiva et circa idem opposita, speciale prævalet generali, quia species derogat generi, ex regula juris 34 in 6°. Si vero utrumque sit æque generale vel speciale, quod est fortius prævalet, hoc est antiquius vel a majori potestate concessum. Si privilegia apparenter tantum sibi contradicant, prævalet magis absolutum, alterum vero ei cedit, quasi tacite conditionatum : sic ecclesia a decimis solvendis exempta, suo privilegio fruatur contra ecclesiam cui jus exigendi decimas ab omnibus ecclesiis fuit per privilegium collatum. Si ab ipso jure privilegium prælationem habeat, alteri prævalet.

Petes 6° quomodo liceat uti privilegio per viam interpretationis.

Resp. 1° Non pro arbitrio, sed juxta regulas communiter a doctoribus receptas, ut verba concessionis, quantum materia patitur, proprie et generaliter prout sonant intelligantur. Privilegia odiosa, id est juri communi aut juri quæsito tertii adversa, restringuntur; mere autem favorabilia, tamquam beneficium principis, latissime sumi debent; personalia ad personam limitantur, realia etiam ad successores porriguntur. In dubio, privilegium favorabile censetur reale, uti et conventionale ex pacto, cujus naturam sequitur. At privilegium præjudiciosum censetur personale, uti etiam et remuneratorium, licet hoc frequenter, propter merita antecessorum, sit reale. 2° Privilegia admittunt interpretationem comprehensivam; persona enim quæ in privilegio non exprimitur, pro qua tamen militat omnimode identitas rationis, videtur in eo virtualiter contenta, quatenus ista persona in mente principis privilegiantis fuit comprehensa : unde privilegia virorum regularium est commune monialibus, dummodo materia sit eis accommodata. Quod dicitur de personis, de casibus est pariter intelligendum. Non admittitur tamen interpretatio extensiva ob paritatem aut etiam majoritatem

rationis, quia vis privilegii non oritur ex ratione, sed ex voluntate principis.

Petes 7° quot modis amittatur privilegium.

Resp. Pluribus modis amittitur : 1° *Interitu subjecti* cui inhæret. Sic personale perit pereunte persona, reale pereunte re totaliter, ut si destruat ecclesia sine spe reedificationis, nisi privilegium inhæreat pavimento seu loco ipsi, vel communitati quæ alio translata trahit secum privilegium. 2° *Cessante causa*. Porro causa cessat vel contrarie vel negative : contrarie, cum usus privilegii, propter mutationem circumstantiarum, evadit injustus, quo casu privilegium amittitur; negative, si usus privilegii non evadat injustus, sed sola concedendi ratio non amplius subsistat, et tunc privilegium non amittitur : sic privilegium juris decimandi ob inopiam concessum regularibus, non expirat, etiamsi progressu temporis pingues redditus monasterium obtinuerit. 3° *Lapsu temporis* pro quo privilegium fuit obtentum, vel *non servata conditione* sub qua fuit concessum. 4° *Libera renuntiatione*, si privilegium non sit commune, ut dictum est. 5° *Non usu*, vel *usu contrario* pereunt tantum illa privilegia quæ gravamen tertii continent. Si hoc eveniat per tacitam renuntiationem, tantum tempus requiritur quantum sufficit ad inducendam præsumptionem quod quis privilegio se abdicavit; si vero hoc fiat per præscriptionem, servanda sunt tempora et cætera requisita ad legitime præscribendum. 6° *Abusu*, quia meretur privilegio privari qui eo abutitur, vel ejus fines extendendo, vel ex illo sumendo occasionem liberius peccandi, vel contra privilegii finem agendo. Hæc tamen amissio, extra casum quo contra finem privilegii agitur, non inducitur ipso jure, sed, tamquam pœnalis, judicis sententiam prærequirit. 7° *Revocatione*. Solus princeps, vel ejus successor aut superior, potest revocare privilegia. Ad licitam revocationem, non vero ad validam, requiritur causa rationabilis, et si privilegium sit onerosum, citra justitiæ commutativæ violationem nequit ex alia causa quam necessitatis aut utilitatis publicæ revocari. Fit autem revocatio vel expresse, dum princeps per verba

aperta privilegium concessum aufert; vel tacite, cum ponit actum contrarium, aut fert legem oppositam privilegio. Porro revocatio per legem universalem non sortitur suum effectum, nisi lex fuerit sufficienter promulgata; item per clausulam generalem, « non obstantibus quibuscumque privilegiis, » non revocantur privilegia specialibus munita clausulis vi quarum revocari non possunt nisi de illis specialis mentio fiat, cum clausula generalis non contradicat clausulis specialibus. Si autem fiat revocatio specialis, tunc sortitur suum effectum, cum privilegiato debite intimata fuerit. Cæterum, sicut privilegium speciale derogat generali, lex contraria posterior derogat anteriori privilegio clauso in corpore juris communis, quia hoc princeps non censetur ignorare, non vero privilegiis extra jus commune vagantibus, nisi et horum mentio fiat, quia hæc probabiliter superior ignorat.

Hæc de privilegiis in communi sufficiant. Utilissime legitur appendix *de Privilegiis* ad calcem Theologiæ moralis S. Alph. de Ligorio posita, ubi, principiis generalibus expositis, multa de privilegiis in specie tractantur.]

TRACTATUS DE GRATIA

D. Thomas, I^a II^e, a q. 109 ad q. 114.

DISSERTATIO I PRÆAMBULA

DE VARIIS ERRORIBUS CIRCA GRATIAM

[Circa gratiam prodierunt errores extreme oppositi. Quidam negaverunt gratiam, ne læderent libertatem. Alii liberum arbitrium respuerunt, ut adstruerent gratiam.

Pelagius, natione Brito, sive Anglus, sive Scotus, sive Hibernus, circa annum 405 errores suos spargere cœpit, quorum celebriores patronos et assertores habuit Cœlestium, cujus patria ignoratur, et Julianum, patria et episcopatu Eclanensem.

Pelagiani primum dicebant, hominem habere tantum a Deo possibilitatem seu facultatem boni, a seipso autem solo hujus possibilitatis usum seu voluntatem et actionem. Attamen, catholicorum argumentis pressi, præter liberum arbitrium, legem et doctrinam exteriorem, videntur postea admisisse aliquid gratiæ interioris, non solum intellectum illustrantis, sed etiam voluntati firmitatem addentis: et hoc auxilium non absolute necessarium affirmabant, sed utile tantum ad bonum operandum, neque gratuito collatum, sed naturæ meritis debitum. Tribus vero præcipuis erroribus Pelagiani pertinaciter adhæsere. Primus est, nullum peccatum ab Adamo ad posteros fuisse traductum, sed protoparentem solo suo exemplo nobis nocuisse, ideoque naturam nostram nullatenus fuisse vitiatam, nec